



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

13 Qui eleemosynam facere possunt

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

in illa fuit, teneris. Si autem res accepta consumpta non est, aut si consumpta est, ditor es factus, ob cuius causam in aequivalenti persequeris, alicui videberis esse obligatus, quia res illa obligata est creditori, neque cum illius dante tibi donari poterat, Ergo potest a creditore vindicari. Ergo tu teneris creditori reddere. Et confirmo. Si a principio rem accepisses, credens dantem impotentem reddi ad restituendum, esset iniusta acceptio, & obligatus esses creditori reddere. Ergo etiam es obligatus, cum illam retines, & scis ex illius retentione creditori dampnum parari. Et hoc mihi dicendum videtur cum Suarez disp. 27. sect. 2. de charitate, num. 10. Quamvis non careat difficultate, cum bona specialiter obligata non acceptis; quia tunc tota obligatio debitoris esse videtur personalis, cui ipse satisfacere tenetur ex bonis, quae habet, neque bona ipsius postquam sunt alienata, videntur cum illo onere transire, alias vindicari possent. Quod si praemio, & mercede alicuius illicitae actionis iam executae acquisitum sit, potest ex illis elemosynam facere, quia dominum illorum acquisivisti, neque teneris danti restituere. Non enim tenetur meretricium pretium sui corporis, neque iudex pretium iniquae sententiae restituere danti, postquam meretricium sui corporis cogiam fecit, & iudex iniquam sententiam tulit. Agidius Coninch. disp. 27. dub. 12. num. 210. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 8. Exipio simoniacae acquisita ob beneficium, quae restituenda sunt Ecclesiae ante iudicis sententiam, ut in disputatione de simonia dicemus.

PUNCTVM XIII.

Qui elemosynam facere possint.

- 1. De quibus personis sit controversia.
- 2. Servus mancipium non potest facere elemosynam, nisi ex consensu domini, censetur dominus consentire si sibi ex assignatis ad sustentationem subtrahat, ut expendat.
- 3. Enumerantur plures alij casus in quibus servus dominum bonorum acquirit, & illorum elemosynam facere potest.
- 4. Quod dicitur de servis mancipiis, dicendum est de famulis.
- 5. Prodigus magnam elemosynam facere non potest, bene parvum, & suo statui convenientem.
- 6. Minor & pupillus similiter absque tutoris, vel curatoris consensu non possunt magnam elemosynam facere. At si faciant, factum tenet, quousque repetatur.
- 7. Tutores, & curatores ex bonis illorum, quarum habent curam, moderatas elemosynas facere possunt.
- 8. Filiusfamilias etiam si pubes sit, ex bonis profectitii, aut adventitii, non potest facere elemosynam, nisi quatenus pater praesumitur consentire, sicut de bonis castrensibus.
- 9. Religiosa superior elemosynas facere potest ex bonis, quae decenti sustentationi religiosorum superant. Alij vero religiosi solum ex praesumpto superioris consensu.
- 10. Vxor de bonis propriis elemosynam facere potest, & quae haec sint.
- 11. Secus de dote, & bonis communibus, absque mariti consensu.
- 12. Limitatur doctrina, ne procedat in elemosynis parvus, & quae alia femina sua qualitate facere solent.
- 13. Item cum maritus est amens, vel absens.
- 14. Deinde cum sit elemosyna ad avertendum malum, vel impedivendum bonum, sed prudenter est concedendum.
- 15. Item cum maritus bona dissipat.
- 16. Tandem, ut non procedat, si parentis, vel filij ex priori matrimonio indigeat.
- 17. Debet vxor computare in sua parte, dissolutio matrimonio, quae se debet.
- 18. Succurrere indignis, elemosyna consistit in actionibus necessariis, quilibet potest.
- 19. De quibus bonis quis dispendere potest, si habet ascendentes, vel descendentes.
- 20. Elemosynas moderatas non tenetur quis computare in quinta, vel tertia parte bonorum, sicut excedentes.

1. Cum elemosyna liberalis quaedam donatio sit, dominium, quae transferat in accipientem, clarum est, extra casum necessitatis fieri non posse ab alio, quam a domino rei donatae, liberam illius administrationem habentem, nisi ex praesumpta domini voluntate. Hinc oritur difficultas de servis, & famulis, de filiisfamilias, de minoribus, & pupillis, de prodigo sub curatore constituto, de religiosis, de vxore, quae ratione elemosynas aliquas facere possint, cum non habeant bona propria, vel si illa habeant, non habeant liberam illorum administrationem.

2. Et primo videndum est de servis, & famulis. De quibus recepta est omnium sententia, servum mancipium non habere bonorum dominium, sed esse apud dominum, cuius ipse est servus, habere expressae. Instituit, per quos personas, & item nobis, & leg. placet ff. de acquirenda hereditate, leg. id vestimentum ff. de penultimo, & cap. cum olim, de privilegiis, leg. 7. tit. 21. part. 4. Ratio colligitur ex supra dicta lege, id vestimentum. Si enim servus domini est, & a domino possidetur. Ergo bona ipsius servi domini sunt, & verid. de Castro Sum. Mor. Part. I.

a domino possideri debent. Ex qua doctrina inferunt non posse servum ullam elemosynam facere, nisi ex consensu tacito, vel expresso domini. Dominus autem semper consentire censetur in elemosynam factam de pecunia, aut cibis in sustentationem servi designatis: designans enim pecuniam illam in sustentationem, totum illud dispositioni servi remittere videtur: Quare si servus sibi aliquid subtrahat, ex illo elemosynam facere potest.

3. Secundo facere elemosynam potest ex peculio proptio, si habeat: habere autem illud potest. Primo, si ab alio sibi donatum est, ea conditione tacita, vel expressa, ut in potestatem domini deveniat. Quod contingit, cum servus datur in gratitudinem alicuius obsequij, absque praedicio domini facti. Secundo, si ab ipso domino concessum est vel gratis, vel in praemium alicuius extraordinarij laboris. Tertio, si in compensationem iniuriae factae ei donatum est. Quarto, si pecunia sic accepta aliquid acquisivit. Ex his enim bonis elemosynam facere potest pro libito: tum quia multorum sententia est, perfectum habere illorum bonorum dominium, & administrationem, neque posse a domino absque iniuria impediri, quia leges deecentes servum non posse sibi, sed domino acquirere, non sunt cum eo rigore receptae: alias nunquam se posset servus redimere, neque contra dominum actionem habere, neque cum eo contrahere, contra l. vix. ff. de iudic. Adde esto in supradictis casibus non haberet servus illorum bonorum dominium, negari non potest habere administrationem, quam saltem ex fidelitate impedire non potest dominus, ac proinde elemosynam pro libito facere ex illis potest. sic Agidius de Coninch. dub. 5. n. 46. Suarez disp. 27. sect. 2. n. 2.

4. Idem quod dictum est de servis mancipiis, dicendum est de famulis, facere, inquam, posse elemosynam ex bonis propriis, sicut ex bonis dominorum, nisi rationabiliter praesumant ratum habituros. sic Coninch. supra. n. 60.

5. Prodigus, cui datus est curator, & bonorum administratio est interdicta, nequaquam potest facere elemosynam magnam: constat ex l. 2. ff. de curatoribus furiosis, parvas autem elemosynas, & suo statui convenientes facere poterit, quia in iis non videtur sibi praedicare, neque officium curatoris eludere.

6. Minor, & pupillus eadem ratione non poterunt absque tutorum, vel curatorum consensu magnam, & excedentem elemosynam facere, quia non habent expeditam suorum bonorum administrationem. At poterunt eas elemosynas facere, quas alij eiusdem conditionis facere solent: quia in iis faciendis tutor, vel curator consentire debet. sic Coninch. disp. 27. dub. 5. n. 61. Quod si de facto aliquam grauem, & magnam elemosynam faciant, factum tenebit, neque obligatus est recipiens reddere, quousque reperatur a curatore, vel a minore perente restitutionem in integrum: quia sunt accepta a vero domino, sic Molin. tract. 2. disp. 2. 77. num. 2. Sanchez plures referens lib. 6. disp. 38. num. 1. Anton. Gomez 2. variarum, cap. 14. Lessius lib. 2. cap. 18. num. 81.

7. Tutores, & curatores, & omnes illi, quibus alienorum bonorum cura demandata est, possunt moderatas elemosynas facere; quia id pertinet ad rectam bonorum administrationem, quae illis commissa est, & in bonum pupilli, & minoris cedunt, ipsique consentire tenentur. sic Azor. 2. p. lib. 11. cap. 10. q. 1. Lorca 2. 2. disp. 40. memb. 1. Valquez opus. de elemos. c. 4. n. 2. Bonac. disp. 3. q. 1. de charit. p. 6. n. 26.

8. Filiusfamilias etiam si impubes sit, non potest ex bonis profectitii, aut adventitii elemosynam facere, nisi quatenus praesumitur pater consentire; quia horum bonorum dominium, vel saltem vltus fructus apud patrem residet. Praesumitur autem pater consentire, si ex datis sibi ad congruam sustentationem honestamve recreationem aliquid subtrahat, ut in elemosynam expendat. sic Coninch. disp. 27. dub. 5. num. 58. Valquez cap. 4. de elemosyn. n. 3. De bonis autem castrensibus, aut quasi, poterunt, quas voluerint, elemosynas facere, quia plena eorum administratio illis competit, quod intelligendum esse dicit Coninch. de filiis pauperibus; nam si impuberes sunt, existimant non esse facile permitrendum dare magnas elemosynas ob iudicij imbecillitatem, argum. leg. fin. C. de testam. milit. ubi denegatur potestas testandi tribuno militi etiam de bonis castrensibus, eo quod stabilem mentem nondum sit adeptus, sed, ut bene advertit Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 11. num. 78. supradicta lux solum locum habere potest in testamento, vel in donatione facta extraneo, non tamen ad causas pias, qualis est elemosyna; si tamen haec elemosyna in dampnum graue ipsius filijfamilias cedant, poterit petere restitutionem in integrum, & illas non ut elemosynas, sed ut donationes prodigas reuocare. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 9.

9. Religiosus superior, cui bonorum consentus administratio commissa est, aliquas elemosynas facere potest ex his, quae decenti subditorum sustentationi superant; quia in iis convenienti consentire debet, & ad rectam illius administrationem pertinet. Item solum prohibetur profanas donationes facere, ut conitit ex Bulla Clem. VIII. de largitione munerum, edita anno 1594. cuius meminit Quaranta, verbo largitio munerum, pag. 361. Ergo donationes ad pias causas ei tacite conceduntur. Alij autem religiosi subditi nullas facere elemosynas possunt, nisi ex tacito, aut expresso superioris consensu: censetur autem superior consentire

DE STRU
ALAI
TOMI
LIB. II

consentire aliquibus elemofynis religioso statui convenientibus, ex eis, quæ eis ad viaticum, vel congruam sustentationem extra monasterium existentibus conceduntur, quia datur illis libera tunc illorum bonorum administratio, sic ex omnium sententia Suar. *disp. 7. sect. 2. n. 3.* Valquez de elemof. c. 4. n. 3. Raro tamen presumitur consentire, ut existentes in monasterio elemofynam faciant ex iis, quæ sibi ad victum apponuntur, quia obstat hæc dispositio rectæ domus gubernationi: sic Lorea 2. 2. *disp. 3. sect. 36. n. 6.* Torres *disp. 84. dub. 2.* Coninch *disp. 27. dub. 5. n. 47.* Lessius *lib. 2. c. 18. dub. 11. n. 85.*

10 Restat dicendum de vxore, de qua duo sunt certa. Primum certum est vxorem habentem aliqua bona, quorum dominium, & administratio ipsi competit, posse de illis disponere, prout voluerit. Hæc bona sunt, si quæ ad matrimonium tulit præter dotem, quæque vocantur bona paraphernalia. Item si quæ labore suo, & industria lucrata est, ad quem laborem ipsa non tenebatur, cum (ve suppono) sufficientem dotem attulerit pro oneribus matrimonij. Tertio, si ex assignatis à marito in sustentationem aliquid liberabit, quia videtur illud suo labore esse acquisitum, vel ex consensu tacito viri dispositum, sic ex D. Thoma, Paludani. Nauarr. & aliis docet Nauarr. *opusc. de elemof. c. 4. n. 4. c. 6.* Coninch. *disp. 27. dub. 5. n. 91.* Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 14. n. 84.* Bonacina *disp. 2. de restit. quaest. 10. punct. 2. à n. 5. c. 9. versicul. quarto.* Aduerto tamen hoc verum esse spectato iure communi. Nam in Hispania aliter est dicendum, cum non solum dotis, sed etiam paraphernalium bonorum administratio ad maritum pertinet, & omnia lucra constante matrimonio communia sunt utrique coniugi, sic Valq. *suprà.* Probabile tamen est hanc dispositionem regiam solum habere locum in vxore nuptiis iam celebratis, vel in sponsis matrimonio consummato, secus in sponsis etiam de presenti nondum cognitis, nec traductis ad domum Couarr. 2. p. *de reser. c. 7. §. 1. n. 4.* Valent. 2. 2. *disp. 3. q. 9. p. 6. fine.*

11 Secundò certum est apud omnes vxorem non posse de dote, nec de bonis communibus elemofynam facere absque viri consensu, quia est hæc illius dominium, non tamen habet administrationem.

12 Hoc tamen limitandum est. Primum, ut non procedat de elemofynis paruis, quas alia femine suæ qualitates facere solent: nam has posse vxorem facere ferè omnes admittunt, quia in iis consentire debet vir ob consuetudinem receptam, & quia hæc elemofynæ largitio pertinet ad congruam, & decoram mulieris sustentationem, quam præstare vir tenetur, neque consentens est per absolutam prohibitionem has prohibere, sed solum magnam, & excessiuam, sic ex Nauarr. August. & Syluest. docet Suar. *disp. 7. sect. 2. n. 5.* Valquez de elemof. c. 4. n. 4. Coninch. *disp. 27. dub. 5. n. 52.* Lessius *lib. 2. c. 42. dub. 14. n. 85.* Bonacina *disp. 2. q. 10. de restit. part. 2. n. 6.*

13 Secundò limitant aliqui, ne procedat, cum maritus est diu absens, vel amens, quia tunc competit vxori bonorum administratio, ac proinde elemofynarum largitio, sic Nauarr. *summ. c. 17. n. 14.* Valquez n. 6. Coninch. *suprà n. 54.* Sed subdit Nauarr. non debere excedere quantitatem, quæ à marito sui compore, vel præsentis datur. At Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 14. n. 86.* cum Palud. Syluest. & Angel. & Coninch. *suprà Bonacina n. 9. vers. quinto,* doctrinam firmant sine hac limitatione, sed absolute dicunt eas elemofynas facere posse, quæ sibi regulant prudentia visa fuerint conuenite. At mihi dicendum videtur cum Valquez doctrinam Nauarr. veram esse in casu absentia mariti, doctrinam Lessij, Paludani, & aliorum in casu amensia: quia in casu absentia mariti, est à marito vxori concessa administratio, & nomine mariti administrat, ipse enim est, qui administrationem retinet, licet illam ob absentiam exercere non possit: non igitur vxor alio modo administrare potest, quam sibi à marito fuerit præscriptum, vel quem intelligit marito placitum esse. At in casu amensia, cum ipsa sit à iure simpliciter administratrix, poterit, prout prudentia dictabit, elemofynas facere.

14 Tertio limitant, ut non procedat, si elemofynas faciat ad auertendum malum aliquod temporale, vel spirituale sibi, vel marito imminens, impetrandumque à Deo, sui suorumque conuersionem. Quia licet in iis maritus non consentiat, consentire debet, quia vultur eius gerit negotium, sic Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 24. n. 85. vers. sexto.* Suarez *disp. 7. sect. 2. n. 5.* Nauarr. c. 17. n. 33. Valquez *opusc. de elemof. c. 4. n. 5.* Bonacina *disp. 2. de restit. q. 10. p. 2. n. 9. vers. tertio,* & facit exemplum Abigail 1. Reg. 25. quæ laudabiliter munera obtulit Dauid, ne in suum maritum amplius sequeret. Hæc tamen limitatio sic absolute sumpta mihi nullo modo probatur, quia aperit viam vxoribus omnia bona liberè expendendi in pauperes putantes id sibi licere, ut à Deo impetrent gratiam, ne maritus vitiosus & inhonestus sit. Quocirca, ut bene dicit Coninch. *disp. 27. dub. 5. n. 56.* solum in casu aliquo raro id est permittendum. Neque exemplum Abigail regit, quia tunc donatio illa fuit necessarium medium ad temperandam iram Dauid. At elemofynæ regulariter non est medium vitium, & efficax ad impetrandam peccatoris conuersionem, cum orationibus, ieiuniis, & sacramentorum receptione id obtineri possit.

15 Quarto limitant, & bene, ut non procedat, cum maritus bona dissipat ludo frequenti, comparationibus, luxuriis, & similibus; tunc enim vxor partem sibi conuenientem surripere potest,

ut se indemnem seruet, & ex illa elemofynas, facere, quantum decens suæ familia sustentatio permittit: quia maritus non est concessa bonorum communium dissipatio, sed ministratio, de cuius essentia est, ut cedat in rei administrationem modum. Cum ergo tunc ipse maritus non administrat, sed dissipat, poterit vxor partem, quæ sibi contingit, accipere administrandam, neque teneatur in dissipationem consentire, sic Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 14. n. 87.* Coninch *disp. 27. dub. 5. n. 58.* Bonacina *disp. 1. de restit. q. 10. p. 2. n. 9. vers. sexto.*

16 Quintò limitant, ut non procedat, si parentes eius, vel filij ex priori matrimonio haberi patiantur necessitatem, neque habeat bona propria, ex quibus illis prouideri possit, poterit tunc ex bonis communibus petita prius à marito licentia: quia æquum non est eius bona accipere, ipso renuente, si ipso consentiente accipi possunt. Ceterum tamen non peccat mortaliter, etiam si hanc licentiam petere omittat, quia vir non est, neque esse potest iniustus in tali elemofyna: siquidem negata licentia poterit vxor clam surripere, ut obligationem naturalem alendi sic sibi coniunctos exequatur, sic Lessius n. 78. Bonacina n. 9. Nauarr. *lib. 3. de restit. c. 1. n. 161.* Quam doctrinam extendunt supradicti Doctores ad fratres ob naturalem coniunctionem; spectat enim ad decentem vxoris statum, ipsi quæ honorem, ne fratres suos permittat egerere, cum bona habeat, ex quibus possit succurrere; fanteque *l. maritus 73. §. 1. ff. de iura dotium,* sibi, maneat matrimonio non perditur vxori ob has causas dos reddi potest, vel, subseq. alar. ut fundum idoneum emat, ut in exilium, vel in insulam referenti præter alimentum, ut egerent virum, fratrem, fororæque sustineat.

17 Debet tamen vxor, quæ se dederit, computare in sua parte, quando dissoluto matrimonio ad partitionem venerit cum viri hæredibus; quia non est æquum, ut ex alieno consanguineis succurrat, cum habeat propria, sic Lessius, & Bonacina *suprà.*

18 Tandem aduerto sermonem hucusque esse de elemofyna, quæ sit per pecuniam, aut simile. Nam si de elemofyna in adionibus humanis consistente loquamur, certum est, vxorem, filium, familias, religiosem, seruum posse liberè illam præstare, dummodo nihil deroget imperio illorum, quibus subditur, sic Suarez *disp. 7. sect. 2. n. 2.*

19 Sed inquirens, an elemofynæ coniugum computanda sint in parte, de qua possunt liberè disponere?

Spectato iure regio Castellæ nullus, qui legitimos descendentes habeat, poterit ultra quintam bonorum partem aliis extraneis liberaliter donare *l. 30. Tauri,* quæ est *l. 13. tit. 9. lib. 5. compilat. si tamen caret filiis,* & habet parentes, solum de tertia disponere poterit *l. 6. Tauri,* hodie *l. 1. tit. 8. lib. 5. compilat.* Dubium ergo est, an debeant elemofynæ in vita factæ computari in hac tertia, vel quinta parte; ita ut si excedant, non possit quis amplius disponere, sicut computantur in morte?

20 Breuiter respondeo (latius tractandum in materia de donationibus) si elemofynæ excessus grauior non appareat, sed potius prudens arbitrio videatur moderata, & conueniens conditioni, qualitatibus donantis, eiusque possibilitati nequaquam computanda sunt, in quinta, vel tertia bonorum parte, de quibus liberè potest disponere, sed ex toto acervo possessionis detrahendæ sunt, tanquam ea, quæ rigorose sunt debita. Ratio est, quia harum elemofynarum largitio ad rectam domus gubernationem, decentemque sustentationem donantis pertinet: quæ ratio cessat, cum elemofynæ sunt excessiue. Præterea excessus elemofynis defraudari hæredes possunt omni sua hereditate, si elemofynis moderatis, sic docent Molin. *tom. 2. tract. 2. disp. 282. §. dubium est.* Thomas Sanchez alios referens *lib. 6. de matrimon. disp. 34. n. 6. c. 11.*

PUNCTUM XIV.

Quibus danda sit elemofyna.

- 1 Facienda est indigenti, modo non foueat eius iniquitatem.
- 2 Vagabundus non est faciendæ elemofyna, nisi grauior indigenti.
- 3 Simulatio pauperi vera est elemofyna, qui affirmat.
- 4 Ex hac doctrina inferunt non esse obligatum restituere, tametsi obligatus sit deceptionem tollere.
- 5 Probabilis est nullam esse elemofynam ficto pauperi concessam, ipsamque obligatum esse restituere.
- 6 Satisque fundam. num. 3. adducto.
- 7 Facienda est restitutio domino, vel veris pauperibus.
- 8 Quibus pauperibus distribuenda est elemofyna, cum à testatore mandatum est in pauperes distribuere, & quia de filio spiritus testatoris.
- 9 Vni tantum non potest integra elemofyna distribuenda in pauperes concedi, neque alius pauperibus à designato.
- 10 Executor potest suis consanguineis pauperibus elemofynam in pauperes determinatos distribuendam concedere, fraudem cessante.

1 Constant apud omnes danda esse pauperi indigenti, si iustus sit, siue iniustus, siue amicus, siue inimicus, modo